

vitalis, verbi gratia, motus cordis, non a principio conjuncto, sed a generante: quia primus est inter vitales, nec in illo potest movere ipsum vivens licet illum eliciat, quia non supponit alium priorem actum, quo se moveat, seu reducat ad actum. Debetur tamen illi, vitalis motus est, quod aliis motibus post primum, moveat se. Sic eodem modo dicimus de actibus liberis in agendo, et se movendo propter finem.

XXX. Ad id quod in ista prima difficultate additur de brutis, quæ habent indifferentiam actionum in exercitio, respondetur quod bruta habent quidem indifferentiam in agendo, seu movendo, quæ est indifferentia ad varios effectus, sicut et aliæ causæ naturales universalitatem, et indifferentiam habere possunt ad plures effectus efficiendos; sed non habent indifferentiam in judicando, quæ est potestas, et indifferentia dominativa: quia non possunt super iudicium suum iudicare, et de eo arbitrari, sed posito iudicio de uno, manet illi alligatus, et determinatus appetitus et hoc est carere indifferentia libertatis: et consequenter non se movere in finem, id est, non se determinare in finem, quatenus non cognoscit habitudinem, et ordinem finis, et mediorum, nec comparationem, et collationem faciunt, inter ipsam convenientiam finium, ut propter hoc ad unam magis, quam ad aliam se determinet. Quod autem bruta timore aliquo, aut beneficio retrahantur, vel inducuntur ad aliquid, non est propter indifferentiam libertatis, et arbitrii, sed propter indifferentiam actionum, ut dicit S. Thomas citata quæstione xxiv de verit. ii ad septimum quia licet, brutum potest diversas actiones operari, non autem varia iudicia de eodem, ex se mutare. Potest tamen flagellis, aut pœnis induci ad apprehendendum

aliquid, ut nocivum, vel beneficiis ad apprehendendum aliquid, ut amicum, quia apprehensione posita, appetitus fertur necessario in illud, et sine potestate abitrandi, et iudicandi, seu immutandi ipsum iudicium. Et quia appetitus caret potestate immutandi iudicium, sicut et imaginativa, reflectendi super illud, et conferendi habitudinem unius ad aliud, dicuntur carere libertate. Quia vero extrinsecis remediis possunt assuefieri ad mutandam, aut formandam apprehensionem, dicuntur disciplinabilia. Unde non obstat, quod D. Thomas infra q. vi. art. i et ii docet, quod movent se propter finem, quæ habent notitiam finis quod etiam competit brutis, saltem imperfecte; sed vere, et in rigore, se movent propter finem. Dicitur enim, quod bruta movent se propter finem, non determinando se in finem, sed finem jam determinatum appetendo, et sic sine potestate, et arbitrio, seu dominio super suum actum, et suum iudicium, movent se instinctu, non arbitrio, in finem determinatum. Et ad hunc modum movendi, cum tali alligatione, et determinatione, sufficit imperfecta cognitio, non illa indifferens et universalis, et dominativa.

XXXI. Ad secundam difficultatem, respondetur solutione ibi tradita, quod non requiritur actualis relatio in ipsum finem aut ejusdem finis in ea, quæ ad ipsum sunt: sed sufficit virtualis, quatenus ex determinatione priori finis continuatur cogitatio, aut iudicium aliquod circa media. Ad replicam autem dicitur, quod quando finis præintensus, et volitus, non potest influere in media, seu in volitionem aliquorum, quæ illi sunt improporcionata, aut contraria, tunc, qui operatur illud medium, etiam habet intentionem alicujus finis, a quo finalizatur illa volitio medii: verbi gratia cum quis exis-

tens in peccato, et conversus ad malum finem, elargitur eleemosynam, si ipse velit, seu eligat hanc eleemosynam dare, propter illum finem pravum, ad quem antea fuit conversus, tunc ille finis ex præexistenti intentione, influit in illud medium, sed depravando illud; quia ex tali influentia, et subordinatione ad finem pravum, tollitur honestas eleemosynæ, et induit defectum serviendi pravo fini, ut infra latius dicetur, præsertim circa quæstionem xviii. Si autem non faciat eleemosynam propter aliquem pravum finem præcedentem, utique talis qui est in peccato, operabitur ex novo fine, quem intendet in illo opere bono, sive sit finis proprius, et debitus tali operi, qui de se ordinatur ad bonum finem, et ad Deum; sive sit alius finis extraneus, et non per se debitus tali operi: ut si det eleemosynam propter humilitatem, vel cultum divinum vel propter satisfactionem sibi injunctam, vel propter Deum. Et quocumque modo fuerit, ille actus erit propter bonam intentionem, et finem ultimum bonum, de novo ibi cogitatum. Aut si non cogitet de bono fine ultimo actualiter, tamen hoc ipso, quod vult dare eleemosynam propter bonum ipsius virtutis, facit illum actum virtualiter propter Deum, qui de se est finis illius boni operis, et in ejus amore virtualiter involvitur amor Dei, ut finis ultimi.

XXXII. Nec sequitur, quod per illum actum bonum convertetur ille peccator, et justificabitur: quia ad justificationem, non sufficit habere intentionem Dei finis ultimi, respectu unius operis tantum, sed respectu ipsius operantis, et omnium operum ejus: quia debet diligere Deum super omnia et non solum pro uno actu, sed pro omnibus, eum velle pro fine habere. Si autem quis existens in gratia faciat opus peccati

venialis, in illum non influit, etiam virtualiter finis bonus, et supernaturalis gratiæ, sed compatitur cum habituali ordinatione in ipsum, id est, cum habitu gratiæ; virtualiter autem, vel actualiter finalizatur ab amore, aut commoditate propria, propter quam fit illud peccatum, licet non sit finis ultimus simpliciter, id est, avertens operantem a Deo, quia non accipitur pro fine ultimo omnium actionum, sicut in peccato mortali; sed ultimus secundum quid, id est, tantum pro illo opere; de quo postea dicemus.

XXXIII. Ad tertiam difficultatem respondimus in physica, q. xiii, art. iii, quod non solum media, et volitio mediorum, sed etiam ipsa intentio, imo et primus, ac simplex amor finis, est propter finem, si non amatum, saltem cognitum; et non solum cognitum, sed conjunctum, aut coaptatum appetitui, ut tali coaptatione posita, ametur. Et sic salvamus in toto rigore, dictum D. Thomæ hic art. i ad secundum: « Quod quid faciat homo, verum est dicere quod agat propter finem, etiam agendo actionem quæ est ultimus finis. » Est ergo etiam prima volitio finis, propter finem, ut cognitum, et voluntati conjunctum, et coaptatum, quod largo modo dicitur amatum. Quæ coaptatio et conjunctio, quid sit, et quomodo fiat in ipsa voluntate appetente, et quomodo requiratur ad elicentiam amoris, ibi explicavimus, distinguentes in eodem actu amoris, id quod spiratio est, seu ponderatio voluntatis; et id quod amoris, seu tendentiæ est in objectum: sicut in intellectu, et est id quod intellectionis, seu cognitionis est; et id quod dictio, seu expressio, et ipsa dictio entitative cognitio, seu intellectio est; sed sub formalitate dictionis exprimi, et producit verbum; sub formalitate intellectionis contemplatur: et prius natura

est in nobis verbum dici, quam in verbo, rem contemplari: ita similiter in amore voluntatis, et est ratio spirationis et ratio amoris; et spirare est, vi seu pondere quodam inclinari, et trahi; et pondus hoc, seu vis, ab objecto ipso, ut appetibile, et ut finalizante est; amare autem, est tendere ex vi talis ponderis, seu inclinationis in objectum, seu amplecti illud, et unire se illi in affectu: et prius supponitur hoc pondus in voluntate, ab appetibili factum, quod pertinet ad spiritum, vigoremque voluntatis; quam ipse voluntatis amplexus, seu unio affectuosa, quæ amor est. Quare invenimus sufficientem rationem in fine, ut etiam primum, et simplicem amorem sui, finalizare possit: et verificatur, quod ille amor sit propter finem, non amatum perfecte, et consummate; sed cognitum, et voluntati conjunctum, seu coaptatum, qui jam dicitur amor inchoative, et ut passio, sicut eum nominat S. Thomas infra quæst. xxvi, artic. ii. Eo modo, quod appetibile, prius intelligitur conjungi spirativo modo, voluntati, seu allicere, quam amari: sicut prius verbum intelligitur exprimi, et dici, quam contemplari.

XXXIV. Quod si instare aliquid velit, dicendo quod finis non finalizat, nisi ut amatus, sumendo ly amatum, prout præsupponit amorem perfecte, et consummate elicitum: tunc primus amor non dicitur esse propter finem, sed versari circa finem, ut objectum, et sic non omnes actiones, erunt propter finem, sumendo stricte, et rigorese ly propter, in habitudine finis amati, sed sumendo ly propter, latiori modo, ut consideratur in habitudine finis cogniti, allicientis, seu conjuncti voluntati, ut ametur. Sed de hoc dicemus, respondendo tertiæ difficultati, seu quæstioni hujus articuli. Et sic manet responsum ad

instantiam hujus ultimæ objectionis, seu difficultatis, quod ly propter, non semper significat habitudinem rei amatae, ut propter illam dicitur fieri, sumendo ly amatae, amore perfecto, et consummato: sed sufficit sumi in habitudine finis cogniti, et allicientis, atque ipsi voluntati conjuncti et coaptati, ubi jam datur amor, saltem inchoative. Et sic in laxiori ista significatione, de ly propter, omnes actiones humanæ, etiam primus, et simplex amor finis, sunt propter finem: in strictiori vero significatione de ly propter, pro habitudine finis amati amore perfecto, non omnes actiones humanæ sunt propter finem, saltem primus amor finis, sed talis, est circa finem, et hoc est esse propter finem, latiori modo sumptum.

QUI NOMINE ACTIONIS HUMANÆ, INTELLIGENDUM VENIAT?

XXXV. D. Thomas in quæstione prima, art. i, affirmat, illas solas dici actiones humanas, quæ ex voluntate deliberata procedunt, si quæ autem aliæ actiones homini conveniunt, possunt quidem dici hominis actiones, sed non proprie humanæ, cum non sint hominis, in quantum homo. Et hæc est probatio, qua D. Thomas probat, solas istas actiones esse humanas: quia illæ solæ actiones sunt proprie humanæ, quæ sunt hominis in quantum homo: differt autem homo ab aliis, quia est dominus suorum actuum, et est dominus suorum actionum, per liberum arbitrium, seu per rationem, et voluntatem; et sic illæ erunt proprie actiones humanæ, quæ a voluntate, et ratione procedunt, id est, per voluntatem deliberatam.

XXXVI. Ista D. Thomæ resolutio

patitur triplicem difficultatem; prima, in excludendo ab actionibus humanis cæteras quæ deliberatæ non sunt: secunda, includendo omnes, quæ deliberatæ sunt, et a voluntate, rationeque procedunt: tertia, in ipso discursu, et probatione D. Thomæ quæ videtur inefficax. In prima difficultate, fiunt instantiæ, de illis actionibus, quæ propriæ sunt hominis, in quantum homo, ita quod aliis creaturis non conveniunt, et tamen deliberatæ non sunt, sicut flere, ridere, admirari, et similia, quæ inter proprietates hominis censentur: proprium enim hominis est esse risibilem, et tamen ridere, et flere, non semper procedunt a ratione deliberata. Item actio intellectus, pure apprehensiva, aut speculativa et necessaria, quæ omnem voluntatem, omneque consilium prævenit: talis est propria hominis, ut homo est, quia est actio immaterialis, et intellectiva, intellectus autem pertinet ad hominem, ut rationalis est; et tamen homo non habet dominium illius, neque est a voluntate deliberata, illa operatio. Et idem argumentum fieri potest, de aliis actibus, quos voluntas operatur indeliberate, et subito, et tamquam natura: isti enim actus spirituales sunt, et ad partem rationalem pertinent in homine, possuntque versari circa objecta spiritualia, et supernaturalia, ut subiti affectus, et excitationes gratiæ: ergo aliquæ sunt actiones propriæ hominis, ut homo est, tamen humanæ et deliberatæ.

XXXVII. Quoad secundam difficultatem occurrunt plures actiones, procedentes ab intellectu, et voluntate advertenter, aut etiam libere, vel culpabiliter; quæ tamen humanæ non sunt, aut non sunt deliberatæ. Nam in primis, actiones beatificæ, tum ex parte visionis, tum ex parte amoris beatifici, sunt actiones

propriæ hominis; nec enim creaturæ irrationales sunt capaces illarum: et procedunt ab intellectu, et voluntate, cum plenissima advertentia, tam respectu rei cognitæ, et viæ, quam respectu actionis faciendæ, est enim visio beata, perfectissima cognitio, et amor inde procedens, perfectissima fruitio. Et tamen actiones illæ, humanæ non sunt, quia sunt actus necessarii, et non regulabiles regulis rationis: nec circa illos potest esse præceptum, vel prohibitio, meritum, aut demeritum, quod tamen sequitur ad actiones humanas, in quantum humanæ sunt. Item prima intentio, seu voluntas finis, est actus procedens a voluntate, et ratione, ac proprius hominis, ut homo est, nec enim irrationales creaturæ possunt finem intendere. Potest etiam talis actus esse liber, et meritorius, ut patet in prima operatione Angelorum, et Christi Domini, ille enim primus actus fuit circa finem: quia per illum conversi sunt erga Deum, et quia in recte ordinatis, semper incipitur a fine, et per illum actum dispositi sunt ad gratiam, quia in illo primo instanti receperunt illam, tamquam adulti, per propriam dispositionem, non tamquam parvuli sine ulla dispositione: ergo ille primus actus liber fuit, tum quia fiebat cum perfecta advertentia, et plena cognitione: tum quia erat meritorius, ut probat D. Thomas i part. q. cclxiii, artic. v ad tertium et in iii part. quæst. xxxiv, etc. Ille autem actus, non fuit a voluntate deliberata, quia voluntas in illo actu non se movebat, sed movebatur a Deo, quia erat primus actus, nec supposebat priorem, quo se moveret: ergo neque erat dominus illius actus, nec in potestate ejus erat; cum tamen probet D. Thomas illum actum procedere a voluntate deliberata, cujus homo est dominus. Item actiones, quæ fiunt ab ebriis,

possunt esse peccata, et imputantur ratione præcedentis advertentiæ, ante ebrietatem, et tamen dum fiunt, deliberatæ non sunt. Actiones etiam secundo primæ, jam habent aliquale peccatum, et tamen nondum deliberatæ sunt. Et multi de actionibus puerorum, et amentium censent, quod aliquantulum sunt liberæ, et in potestate exercentium, proceduntque ab intellectu, et voluntate, cum spirituales actus sint, nec tamen sunt humanæ, quia per illas non merentur, nec demerentur. Ac denique actus, qui fiunt uni coinstanti, possunt procedere a voluntate, et ratione, cum istæ potentiæ spirituales sint, et in instanti operari possint. At in instanti non potest esse deliberatio; quia hæc consultationem postulat. et inquisitionem, quæ apud nos, non nisi in tempore fit. Nec in instanti, saltem primo, potest exerceri libertas: quia in eodem primo instanti, non potest simul aliquis facere, et non facere, quod tamen ad libertatem requiritur.

XXXVIII. Quoad tertiam difficultatem, discursus D. Thomæ claudicare videtur, quia totus ille discursus nititur duplici consequentia. Prima, illæ actiones sunt humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum homo: proprium autem est hominis, in quantum homo, quod sit dominus suorum actuum: ergo illæ sunt actiones humanæ, quarum homo est dominus. Secunda consequentia, homo est dominus suorum, actuum, per voluntatem, et rationem, seu per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis, et rationis, ergo illæ solæ erunt actiones humanæ, quæ ex voluntate deliberata procedunt. In hoc discursu, prima consequentia assumit majorem certam, sed minor distingui potest, laborat enim in æquivoco, proprium est hominis in quantum homo, quod

sit dominus suorum actuum, distinguo; tantum hoc est proprium hominis, nego; hoc et multa alia, quorum non est dominus, ut instantiis in primæ, et secundæ difficultatis allatum est, concedo. Ex hoc autem inferre, quod illæ solæ actiones sunt humanæ, quarum dominus est homo, est manifestus paralogismus, cum ex eo quod non est adæquate proprium hominis, nec tantum est proprium illius, inferatur quod solæ illæ actiones proprie sunt humanæ, quarum est dominus. Similiter secunda consequentia, infert plus in conclusiones, quam continetur in antecedenti. Quia in antecedenti solum habetur, quod homo est dominus suorum actuum per voluntatem, et rationem: in consequenti autem infertur, quod illæ erunt actiones humanæ, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Plus autem requiritur ad voluntatem deliberatam, quam ut voluntas sit domina suorum actuum, quia ad dominum actuum sufficit libertas, ad deliberatam autem voluntatem requiritur, quod sit consilians, et ex uno ad aliud se movens, quod plus est, quam liberum esse, et dominum sui actus.

XXXIX. Ad has difficultates respondendum est incipiendo ab ista ultima, ut solidetur prius discursus ipse D. Thomæ, deinde facilius ad instantias adductas, respondeatur. Et ergo notandum, quod actiones humanæ possunt dici propriæ hominis, ut homo est, dupliciter. Primo, quantum ad substantiam; secundo, quantum ad modum. Substantia hominis, in quantum homo, id est, quantum ad propriam ejus differentiam, est esse rationalem, id est, intelligentem cum ratione, ex quo consequitur, quod sit volens ex ratione. Et operationes propriæ hominis, ut intelligens est, et volens, quoad substantiam, habebunt intel-

ligibilitatem, et spiritualitatem, quoad modum vero universalitatem, indifferentiam, reflexionem supra se, potestatem super actus suos, etc. Qui tamen modi, non in omnibus actibus æque resplendent, nec cum eadem perfectione sunt; sed in aliquibus plus, in aliis minus explicantur juxta quod ipsi actus, cum majori, vel minori advertentia, et expeditione fiunt. Nec enim omnes actus plenam habent deliberationem et advertentiam, neque etiam libertatem, nec in omnibus actibus intellectus, æque explicatur ejus universalitas, et perfectio in intelligendo: quia natura nostra, etiam in quantum rationalis, et ipse homo, in quantum homo, ita operatur intelligibiliter, et spiritualiter, quod procedit de imperfecto ad perfectum, sic et non æque perfecte, et plene, in omnibus se explicat; sed paulatim de uno, procedit ad aliud, licet totum hoc spirituale, seu rationale sit, et consequenter proprium hominis, in quantum homo; sed non omni modo perfecto, quo petit homo. Quare cum D. Thomas ponit illam propositionem, quod proprium est hominis, in quantum homo, quod sit dominus suorum actuum, loquitur de eo quod est proprium hominis, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum perfectum operandi per rationem, licet non in omnibus actibus procedentibus ab homine, ut homo est, talis modus habeatur, ob imperfectionem actus. Et sic actiones illæ, quoad modum non erunt propriæ hominis, ut homo est, licet quoad substantiam propriæ ejus esse possint: esse autem actiones humanas, magis, seu perfectius, et consummatius, habetur ex modo, quia scilicet, modo humano, seu morali procedunt, qui est modus proprius hominis, quam ex substantia tantum, quia spirituales, vel intellectuales

sint. Similiter actiones possunt dici deliberatæ dupliciter. Uno modo initiative, alio modo consummative: Item eminenter, seu virtualiter, aut etiam formaliter. Dicitur initiative deliberata, illa actio, quæ est principium deliberandi, licet nondum deliberationem consummet, et tamen jam potest esse libera in se; sicut motus cordis est vitalis, quia est initium vitæ, seu actionum, in quibus animal se movet, licet in ipso motu cordis, nondum perfecte se moveat animal, quia est primus motus; sed movetur, ut se moveat; ideoque ille motus debetur sibi a suo generante, in quantum est generans talis vitæ, quatenus tenetur suum genitum constituere in eo statu, qui requiritur, ut operari possit operationes suas, id est, operationes vitæ, et has non potest habere, nisi prius sit actus in actu, ut se reducat in alium actum: et hoc est movere se, quia movere se, non est solum elicere actum, sed de potentia ad actum se reducere: quod stare non potest, nisi sit factus in actu per aliquem motum, et hoc quod est, sic esse motum, et factum in actu, debet a suo generante habere. Et idem est in vita intelligibili, et rationali, quod primus actus intelligendi, et volendi debet esse a Deo, qui est generator, seu creator rationalis naturæ, quia ad illum non potest se reducere ipse intelligens, et volens, cum non sit alius actus prior, per quem in actu factus, reducat se de potentia ad actum, et consequenter se moveat. Ille ergo primus dicitur initium deliberationis esse, quia est initium se movendi de fine, ad ea, quæ sunt ad finem, licet non sit deliberatio consummata. Similiter si aliquis actus ita sit perfectus, et plenæ deliberationis, quod completatur omnia, quæ pertinent, tam ad finem quam ad media, vincatque omnem indifferentiam, et universa-